

bitandi locum ad Arnun quærentibus. Annius Viterbiensis Catonis sui verbis innixus, ad Iannum *Florentia* primordium refert. Hos omnes conciliare conatur Leander Albertus. Ambitum habens sex millium, supra nonaginta millia continens incolarum; æquali loco jacet ad Arnun, quo, ut jam monui, interfecatur, quatuor eximiis conjuncta pontibus, silice quadrato strata, latis ornata plateis. Collibus cincta est theatri instar ab Oriente & Septentrione amœnissimis, quique undique fructiferis vestiti arboribus. qua Occidens est pulcrum habet planiciem: cœli regione inter Aretium & Pisam media mistaque; quarum urbium prior acutissima fert ingenia, altera homines memoria valentes singulari. Munit eam contra vim externam hostiumque incursiones brachiis aliquot suis Apenninus. Geminos habuisse muros, tradit Christophor. Landinus suis in Dantem Commentationibus, quatuorque eorum portas majores, totidemque minores fidei digito indicat Leander Albertus, ex Vberto, Leonardo Aretino, Christophoro Landino, Politiano & aliis; quo modo & quando antiqua urbis facies perierit, sensimque præsentem induerit, adscribens. Splendore & elegantia summa est: ut voce incertoque vulgi sermone feratur, *Fiorenza la bella, totiusque Florentia*. Locis, quæ divino cultui sacrata nitet quam plurimis. Admirabile est templum *D. Mariae Floridæ* magnificentissimum; & inter tria *Etruriæ* nominatum; totum ex marmore albi, nigri, rufique coloris constat, cum hemisphærio stupendi operis, quod ab Philippo Brunalizio Florentino singulari arte factum. Iuxta stat turris eximia, tota marmorea. Modico post intervallo veterrimum *Marris* templum, forma sexangulari magno ingenio constructum; & nunc *D. Ioanni Baptistæ* sacrum: ubi lacus ex marmore conspicuus, in quo infantes baptismate lavantur. Situs est in hac *Æde Balbazar Cossa*, quondam P.M. nomine Ioannis XXIII, decretoque Concilii Constantiensis Pontificatû abdicare iussus. Apud portam quæ est è regione Majoris Ecclesiæ, binæ cernuntur columnæ Porphyreticæ; quas Pisani Florentinis, parta de Saracenâ victoriâ honoris causa miserunt. Nobilia item sunt fana *D. Mariae Novellæ*, quod dedicatum ab Eugenio IV, anno c10 cccc xxxvi, Martii xxv; *S. Spiritus*; *Fratrû Minorum*; *D. Laurentii*, ubi situs est *Cosmus Medices*, suspensaque visuntur cxxx vexilla, Petro Strozzo in prælio apud Senas olim commisso, erepta; & *Annunciatæ*, multis dotatum privilegiis. Hic insignia varia & donaria ex auro, argento, cera, panis; adeo ut ipsum compleant. In ambitu cadavera quædam sunt exsiccata. Alia, ne rædium pariant, prætereo. Inter xenodochia, quæ xxxvii dicuntur numero, primi facile loci, quod *D. Mariae Novæ*. Parochiæ censentur XLIV; Prioratus XI; Conventus virorum mulierum-

que sacri LXXVI; Collegia puerorum, quas Fraternitates vocant, IX; Virorum Sodalitates maximo numero. *Ædificiis* insuper nobilissimis, cum publicis, tum privatis est perornata. Palatia sunt infinita: inter illa *Curia Senatus*, amplissima *Domus Medicea*, Cosmi opus; *Strozorum & Pitorum Ædes*: Campi octo, *S. Crucis*, *S. Marci*, *S. Laurentii*, *Della Signoria*, *Del Prato*, *S. Mariae novellæ*, *Mercato vecchio*, *Mercato nuovo*. Suburbia quondam habuit non ignobilia: sed anno c10 c10 xxxi dejecta. Villas autem & nunc suburbicarias habet innumeras; easque magnificentissimas; cum structura & regio sumptu, tum hortis, summam oculis delectationem, quod myrrho, lauro, rosa, aliisque, & opere topiario decorati, præbentibus. Arx ibi duplex: *Vetus*, quæ urbem subtus despicit; piscis cujusdam ossa continens miræ magnitudinis: *Nova* grandioris spaci, fontibus, molendinis, turri, propugnaculis, tormentis, annonâ, rebusque aliis ad defensionem necessariis instructa. *Auctores* loquitur inscriptio, quæ ad portam talis:

Quod faustum felixque sit, Carolus V Romanorum Imperator Victor ex Africa rediens, quum Alexandrum Medices Florentinorum Ducem, Generum suum, exstructa jam reliqua Arce, Turris hujus Fundamenta locantem reperisset, primum victrici Manu Lapidem ponere non dedignatus est c10 c10 xxx.

In Foro Novo porticus est, columnis xx sustentata, undique permeabilis; Cosmi Medici Florentiæ Ducis II opus, anno c10 c10 xlviii exstructum. Prope *Ædem D. Marci Equile* est Ducis, vulgo *l'Equirie*, in quo aluntur hodie leones, tigrides subflavi coloris, maculis nigris; leopardi, ursi, boves Numidici. Incolæ acuti, graves, facundi, bonarum artium studiosi; quibusque laus propria, quod Latinis litteris ab interitu vindicandis operæ non parum contulerint. Pecuniæ sunt studiosiores, cujus conquirendæ desiderio in ultimis etiam terris negociantur. Mulieres forma pudicitiaque præstantes, earumque, ut & virorum, vestitus supra modum egregius & decorus. Nobili gente perpetuo frequentem, multasque honestas familias hinc, tanquam ex uberrimo fonte, in alias *Italiae* urbes fuisse derivatas docet Christophorus Landinus, quem antea laudavi. Humanitate omnes *Etruscos Florentini* superant: quemadmodum & sermonis elegantia. Quam varie periculoseque sæpe jactata, quamque perniciosissimis nunc *Alborum & Nigrorum*, nunc *Guelphorum & Gibellinorum* factionibus fuerit exagitata, docent plene Leonardus Aretinus, Antoninus Archiepiscopus, Nicolaus Machiavellus, & alii. Vrbes Agrosque multos imperio subegit, *Pistoriam*, *Aretium*, *Cortonam*, *Volaterras*, *Pisam*, *Portum Ligurnum*, *Bibienam*, *Agrum Clusentinum*, *Montem Politianum*, aliaque plurima *Tusciæ Romanulæque* opida. Anno c10 c10 cxi incendium *Florentiæ* duo mil-

Ambitus.

Situs.

Muri gemini.

Elegantia.

Templa,
Locaque
Sacra.Ædificia
Publica.

Suburbia.

Arces.

Porticus.

Incolæ.

Res gestæ.

Incendium.